

maxime contra Bernardum Sapientem; sed cum rei veritatem invenire non possent, consulibus in plena concione suam purgare innocentiam volentibus, surrexerunt omnes in eos cum gladiis et fustibus atque lapidibus, clamantes et dicentes illos proditores et morte dignos turpissima. Persecuti ^{statim} praeterea [a] eos clamore et stridore densium magno per domos et de via quaque [b], dominum quoque Federicum de Guillermo, ad matricem Ecclesiam fugientem, fere juxta altare, fortiter vulnerarunt [c]. ^{tum m}

Hic Faventini fecerunt ccccc equites.

CAP. LXV.

Certo Post paucos autem dies, sopito civium rumore et omni ablato timore, cōsperantur consules de bello inimicis abinde inferendo ^{retus} tractare, statueruntque ^a arma, quod pondus [f] pro posse et statu personae singulis conveniret ^b civibus. Ascripserunt igitur equites quingentos, qui toto tempore guerrae, hoc est fere triennio, inventi sunt ad equitandum usque parati, ad ponendum insidias docti, ad inimicos offendendum [h] omnibus modis solliciti. Habebant quidem equos veloces et pene infatigabiles [i], quos faciebant ^j usus assiduus et annonae copia, et maxime faba quale profecto apud Faventinos eorumque majores inter alios fructus terrae maximum semper obtinuit locum. Pedites a gestigiis equitum modicum deviantes, etiam sine jussu rectorum, cum ipsis ire die noctisque inveniebantur parati.

De destructione Lauretæ.

CAP. LXVI.

Sub anno nativitatis Christi MCLXVIII, in februario, Faventini die quadam, civitatem Forolivii praetergredientes, ad castrum equitaverunt Lauretæ, quod a media tercia usque ad nonam totis viribus expugnantes, de castro et intus reclusis, vulcano superante, plenum habuerunt triumphum. In hoc autem castro dominum Hieremiam de Polenta [k] [A], Namerium [l], Ubaldum [m], et quosdam alios, tam milites quam

[a] Persecuti praeterea. Cl. Mitt. sic legit. In C. V., persecuntur praeterea. — [b] de via quaque, Codd. M. et A. In C. V., de unde quaque. — [c] fortiter vulneraverunt, Codd. M. et V. In C. A., foederiter vulnerarunt. — [d] abinde inferendo. Sic Codd. M. et A. In Cod. V. deest abinde. — [e] statueruntque. Sic lego cum cl. Mitt. et C. V. Codices M. et A. habent statuentesque. — [f] quod pondus. Sic Codd. et cl. Mitt. An forte legi potest quod ad pondus? — [g] conveniret. Codd. conveniatur habent. — [h] inimicos offendendum, C. M. et V. In C. A., inimicos offendendos. — [i] infatigabiles. In Codd. infaticabiles. — [j] quos faciebant. Sic cl. Mitt.; quod, C. A.; quo, C. V. — [k] Hieremiam de Polenta. Sic lego, etsi Codd. M. et V. habeant de Polento. — [l] Namerium, Codd. M. et V. Homerium habet C. A. An Numerium? Tondutius habet Homericum. — [m] Ubaldum. Tondutius addit comitem de Petrignano.

[A] Polenta est exiguum castrum, quod adhuc superstet, quodque Hieremiae supradicto ac ceteris Polentianis, Ravennae civibus, cognomentum dedit. Extat autem ejusmodi castrum supra viam Æmiliam, septimo circiter ab urbe Foroliviensi lapide.